

h. 114. 7.

(X 2000 673)



SVADA RUTHONVM,  
SIVE  
DISSERTATIUNCULA  
DE ILLUSTRISSIMIS RUTHENIS, QUI ERUDITIONE, CUM-  
PRIMIS VERO ELOQVENTIA  
EXCELLUERE,

QVA  
PL. VENERANDOS  
DNN. INSPECTO-  
RES, ET QVOSCUNQVE  
VIROS ERUDITIONE CON-  
SPICUOS ALIOS,

M. JO. FRIDERICUS Köber /  
Illustris Ruthenei Rector,

ad

*benevolè auscultandam*

HEINRICI FRIDERICI CONRADI  
GERANI,

*Valedictoriam Orationem,*

ILLUSTRISSIMO RUTHENO  
DECIMO

præcipuè sacram,

Quâ par est, observantia & humanitate  
invitat.

GERÆ,

Literis Georg. Heinr. Mülleri.





**M**ultum profectò interest ad laudem & gloriam Principis nec parum in rem omnium communem est, plurimumque emolumentum promittit, si, quorum provisionibus atque consiliis, tutelæ ac curis vitam, salutem, securitatem ac statum subditi debemus, non magis natalium splendore, antiquitate generis & gloria majorum, quam eruditione, doctrinâ & sapientia, tantò fastigio dignâ, emineant præ aliis atque excellant. Et omnes habet in se numeros veritatis, quod Plato, (a) quasi quidam Deus (b) Philosophorum, scripsit alicubi; non prius cessatura inter homines mala, quam aut homines rectè verèque philosophantes, capessant falces, aut imperio admoti, divina quadam sorte, verè philosophentur. Quam sententiam luculentissimus Christi vates (c) ita expressit.

*Nimirum pulchrè quidam doctissimus: esset  
Publica res, inquit, tunc fortunata satis, si  
Vel Reges saperent, vel regnarent Sapientes.*

Imprimis autem Principis personam egregiè commendat, & vel maximè decet, si disertus sit, nec dicendo parum valeat, magnaq; adeò commendatione polleat, quod de Alcibiade suo elegantissimus Nepos (d) ait, oris atque orationis. Quid enim eloquentia laudabilius est, prestabilius, vel admiratione audientium, vel spe indigentium, vel eorum, qui defenduntur, gratia? Cui ideò a majoribus suis in tota dignitate principatus sit datus; ut eloquentiæ non lumen, sed numen potius, Cicero, (e) Arpinatum gloria, fatetur. Nec ineptè finxerunt ingeniosissimi mortalium, ab Hercule Ogmio, sive Gallico (f) catenulis ex ore pendentibus

bus, ingentem hominum turbam, auribus suspensam, fuisse tractos. Documentò evidentissimo, bonum Principem eloquentiæ vi, ac dicendi copia facultateque suos maximè in officio continere posse. Et Musonius præclarè apud Stobæum ait; Principem dicendò minimè superari, vel maximè regium esse: haud enim pauciores Orationis efficaciam, quàm impetu armorum vinci. De quo ut luculentius constet, non ibimus in vetustissimos vel Græcorum vel Romanorum annales, domi & inter Germanos nostros, principem Europæ populum, & in ipsa **ILLUSTRISSIMA ILLUSTRISSIMORUM RUTHENORUM**, gloriaq; & meritis decantatissima GENTE, satis exemplorum occurrit, quibus ostendi sine negotio potest, Principum ac Dynastarum culmina non indecere solidæ eruditionis, & facundiæ cumprimis laudem. Itaque sistam nunc in proscenium nonnullos (quis enim omnibus recensendis ac de prædicandis sufficiat?) ex **PRÆCELSIS RUTHENIS NOSTRIS**, qui variarum rerum scientia, cum maximè verò dicendi gloria & facultate celebres fuerunt, magnumque sibi nominis pepererunt decus. Et hanc quidem in rem adducere possem non incongruè, quod **ILLUSTRISSIMORUM COMMITUM** Nostrorum Majores, omni laude mañandi, sed & omni majores, nomine & officio, Sacri Romani Imperii Advocatorum, quos Germanicè *Voigte* vocant, satis diu, nec sine immortali gloria gavisi primùm, deinde terris, quibus præfecti, hereditariis beneficiò Imperatorum factis, & à se denominatis, ut Prætorum, sive, prout Scriptores recentiores vocant, Advocatorum, idiomate vernaculo *das Voigtland* / dicerentur, eâ iustitiâ, æquitate ac prudentia, longò seculorum tractu, præfuerint, ut, quos hisce pares ponas, difficulter, quos superiores, nusquam fermè aut nunquam invenias. Et est quidem hæc laus tibi propria & planè peculiaris, ô Voigtlandia, Patria svavissima, hanc gloriam vel sola Provinciarum obtines, quod à Vogtis tuis, quorum curæ dexteritati ac sapientiæ tuam maximâ ex parte salutem debes jam olim, nomen sortita es & appellationem: quam & tantisper obtinebis, donec in antiquum chaos, undè emerfit, redigetur hoc universum. Quamvis enim du-

Germanicæ.

i. e. ~~Germanicæ.~~

bium non sit, quin multæ per Germaniam terræ suos itidem,  
habuerint olim sibi Prætores & Advocatos; id tamen tibi con-  
tigit soli, ut illorum nomen in Te derivares; quo & tenus hac  
gaudes. Cedunt hanc Tibi laudem, quicquid Provinciarum  
undiquaque est. Quod si autem seriâ perpendimus æstimo-  
ne, ecquodnam fuerit olim Advocatorum hujusmodi munus,  
ecquis status ac conditio; eruditorum docemur libris (g), ad  
maximam isthanc dignitatem non modò fortitudine ac peritiâ  
militari illustres, sed & cum primis eruditione, facundia, sapien-  
tia, aliisque animi dotibus conspicuos Heroes electos fuisse &  
electos, eos certè, qui & belli tempore tueri suam Provinciam  
armis, & quovis alio judiciis exercendis, litibus dirimendis, &  
suum cuivis æquâ lance reddendo, tanquam juris religiosis-  
simi, occupati fuerunt, & qui, ut Impp. Leo & Anthemius lo-  
quuntur; (h) *gloriosæ vocis confisi munimine, laborantium spem,*  
*vitam ac posteros defenderunt.* Igitur, cum inter hos vel maxi-  
mè gloria ac meritis emineant ILLUSTRISSIMI RUTHENI;  
ecquis tam cœcæ aut scævæ mentis est, ecquis animo tam ini-  
quo aut malevolo, ut ILLOS doctrinæ eloquentiæq; meritissi-  
mâ laude defraudet? Verùm enim verò missis hisce, quibus  
nunc immorari non licet, in viridaria Historicorum exspatiati,  
exempla hinc & inde, tanquam flosculos suaveolentes ac nitidis-  
simos delibaturi sumus; ut certum cuivis sit & exploratum,  
LAUDATISSIMOS RUTHENOS non togâ minùs, quàm  
sago nunquam non illustres ac celeberrimos fuisse. Atque  
hîc non possum non succensere quodammodò indiligentiæ ve-  
terum, quibus vel ruditas seculi, vel notitiæ rerum Germanica-  
rum neglectus silentium indixit, ut, quæ par erat, ad posterita-  
tis memoriam perennem literis non crediderint, aut credita so-  
licitè non asservarint. Ita nimirum apud præsciores Germa-  
nos usu vulgò veniebat, ut præclarè potius ac fortiter agere,  
quàm eruditè scribere, rem se imprimis dignam existimârint,  
factisque magis, quàm inclarescere scriptis. (k) studuerint.  
Certè de quocunque occasio non fuit differendi, quæ in Mo-  
nasteriis delitescerat, genti ignaræ pariter & rudi, id perpetuis  
sepultum jacuisse tenebris, in aprico est. Sed quicquid hujus  
fit,

fit, non defunt, qui nonnihil de RUTHENIS Nostris commemorarunt, non defunt quoque inter ætate proveciores (quos Deus servasit nobis quàm diutissimè!) quibus, quæ hòc ipsò seculò contigerunt, latere penitus non possunt. Ex vetustissima ergò ætate, ad quam pertingere licuit in tantis tenebris, eminet & primum se sistit HEINRICUS DE WITHA, Vir potens & militaris, quem vocat Helmoldus (1) Presbyter Buzoviensis, qui, quàm cordatè, nervosè, audacter ac piè contra potestatem Pontificis Episcopos eligendi, pro Imperatore Romano, cui in hanc competere non injuria statuit, peroraverit, apud eundem videre est: quanquam, quod tetricitas styli non planè absit ab oratione, si non dolendum, temporum barbari- ei imputandum sit. Cæterum ipsa Oratio nec sine nervis & argumentorum pondere est, & egregiè ostendit, jus constituendi Episcopos Imperatori non posse derogari, certè litem hanc eliminandam è pomœriis Ecclesiæ esse, ne obstaculum detur conversioni gentium, & præcipuè Slavorum, quorum barbaries & furor paulò antè multum intertrimenti attulerat Ecclesiæ, & in quorum territorio sedes reparare Episcopales studebat Hartvvicus Hamburgensium tunc Archiepiscopus; quarum tamen inaugurationem Henricus Leo Imperator, per Ducem suum Adolphum, verba pro hoc faciente Henrico de Witha jam antè laudato, sibi vindicabat. Scilicet hic mos est RUTHENIS Nostris, ut justi pariter & æqui tenaces sint, nec minus agrè ab eò, quod rectum est, quàm Sol à cursu suò, revocari se patiantur. Liceret ex eodem seculo (est verò tertium decimum) producere in rem præsentem HEINRICUM, cognomentò DIVITEM, Dynastam in Hoff, Weida, Plauen & finitimis conditionibus, de quo ex Francisco Samsovino, historico Italo, istud vulgò circumfertur encomium, quod *nemini rariora, spectatioraq; vel cœlestis gratiæ, vel ardentis nature, ingeniiq; præclari dona contigerint, quàm isti*. A quibus non faciliè dixerim, eloquentiæ dotes abfuisse. Liceret & ex decimo quarto seculò sistere in theatrum, Burggraviatûs Misnensis axiomate illustrem HEINRICUM, Dominum de Plauen, qui S. Rom. Imperii, & Imperatoris gloriosissimi Sigismundi Judex aulicus fuit.

Quod officium qui fungi quem satis posse putat, citra doctrinam edecumatam, & Svadae inprimis flumen; is nã cum ratione insanire censendus sit. Sed enim non invitis, opinor, hisce aliisque, quos religioso nunc venerari silentio placet, prodeat, qui initio seculi XV floruit, HEINRICUS PLAUNIUS, arcis munitissimæ Svecensis in Prussia fortissimus propugnator, Heros Marte pariter & arte clarissimus, quæ duo ita in ipso paria fecerunt, ut utro excelluerit, ambiguum sit & incertum. Neque enim fortiter minus pugnavit, quam prudenter locutus est pro Cruciferis, sanctissimo Equitum ordine, pro fide propagandâ olim institutô, (n) qui verò ea tempestate à Polonorum Rege Sigismundo infestis impugnabantur armis, & tota propemodum Prussia, multis castellis & urbibus in deditio-nem acceptis, exterminabantur. Supplex Plauenius ille ad Regem veniens cum Fratre & paucis Bohemis ac Silesiis, eâ verborum copiâ, eo rerum pondere causam suorum egit, ut non militis duntaxat magnanimi, sed & oratoris exercitati instar esse possit. Cùmque non impetraret, quod rogaverat, lenitate in justissimam iram conversâ, mascule hosti se opposuit, impetum strenue sustinuit, totamque tempestatem, quæ cervicibus Teutonici ordinis tunc omni vi incumbibat, omni vi amolitus est,

--velut, (p) rupes vastum quæ prodit in æquor,  
 Obvia ventorum Furiis expositaque ponto,  
 Vim cunctam atque minas perfert cœlique marisque,  
 Ipsa immota manet.

Etenim qui hac de re commenti sunt, ipsi fatentur, ex eo tempore minus prosperas Polonis res suas fuisse, retroque penitus relapsas. Tam suave Peithus cum Marte connubium est, nec dedecet belli Ducem, quod Phœnix apud Homerum (r) monet Achillem suum:

Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμμεναι, περὶ κλῆρα τε ἔργων.

Esseque sermonum artificem, rerumque peritum.

Sed festinandum ad alios, qui restant, quanquam fieri vix possit, ut in tanta dicendorum copia omnium memor esse queam. Et quis ego sum, qui tantum onus, cui ferundo humeri mei non

681  
non sunt, in me recepi? Demosthenes sint oportet aut Cicero-  
nes, aut si quos cœlestiori ore instruxit benignior natura, qui  
de Vestra, PRÆCELSI RUTHENI, facundia, ut par est,  
exponere velint. Verùm instituti memor, agam porro, quod  
ago, pietatis in CELEBERRIMAM RUTHENORUM STIRPEM conscientiam fretus. Quæ & meam, si  
qua est, temeritatem excusabit, & si non omnia acu teti-  
gero, veniam dabit, cum in arduis hisce & voluisse satis sit.  
Hic verò me interpellat & commemorari vult HEINRI-  
CUS GERENSIS, Orator (s) ut expressè vocatur Georgio  
Fabricio, Electoris, qui, cum in conventu Molhusianò de conci-  
liandis Electoris Friderici II. & Wilhelmi, Ducum Saxoniae, a-  
nimis deliberandum esset, eam oris facundiam verborumque copiam  
ac vi ab Electoris stetit partibus, ut Ducis advocatus, Vir ecclesia-  
sticus, omnino rejiceretur, cum nefas sit, hujus ordinis hominem  
causas agere in foro, Principumque iudicio. In quò & æquita-  
tis rationem habuit Heros Optimus, & Electoris partes egregie  
tutus fuit, quamvis ingratis Wilhelmi, cumque sua & suorum  
civium immeritam halosi. Hunc enim puto fuisse (si non ipsius Fili-  
us fuit) qui hostem Vatinianum plane expertus Wilhelmu post-  
ea est, oppugnatam primum, expugnata deinde & diruta ad so-  
lum Geram nostram, adolescente Gerensi (ita loquitur adulator (t)  
in Bohemiam abducto, ubi & lue pestilenti obiit, plebe verò pro-  
miscuam, quæ in templum confugerat, spoliata rebus omnibus, & mi-  
serabiliter inter Aras occisa, trucidatis in oppido pluribus, quam  
quinq; hominum millibus. Id quod factum dolemus XVII. Cal.  
Novemb. A. MDCCL. Quicquid enim Fabricius (u) de temeri-  
tate & pervicacia GERENSIS, atque contumeliosis in Ducem  
verbis garrit, id verò partium potius studio excœcatus loqui vi-  
detur, quam veritatis, cui studere debebat Historicus, amore.  
Certè dubium non est, quin in bello isthoc Fraternali vim & inju-  
rias alterutrius expertus sit, quisquis rebus alterutrius studuit.  
Quod quidem exemplis non unis probare possemus, si id potissi-  
mum nunc ageremus. Sed accedendum propius ad tempora no-  
stra est. Superiori ergo seculo ex Burggraviis Misniae, QVIN-  
TUS & SEPTIMUS, Consilarii Imperiales, ille etiam su-  
pre-

i. e. poenitent.

primus Regni Bohemici Cancellarius fuit, de hoc verò in æde  
Plauensi primariâ hoc epitaphium insigne habetur cum effigie:

*Aspicias HEINRICI Plauensis Principis ora,  
Effigiem potuit fingere docta manus;  
Incluta si posset virtus & gloria pingi,  
Aspiceres rara nobile mentis opus.  
Ast ita fata jubent. Heic mortua ponimus ossa;  
Spiritus astra colit. Talia Fama refert:  
Hic fuit HEINRICUS, Plavia Dux inclutus urbis,  
Patritios Romæ qui numeravit Avos.  
Consiliis rexit FERDINANDI Cæsaris aulam,  
Consultor felix Marte togâque fuit.  
Austria debet ei celebrisq; Bohemia multum,  
Prædicat Ipsius Teutonibus ora decus.*

Ecquis vero hos, qui consiliorum & operum maximorum  
coadjutores potentissimis Imperatoribus & Regibus, ac alteræ ve-  
luti cervices tantâ cum gloria adstetere, rudes putet fuisse litera-  
rum, & ab eloquentia tenuiter instructos? Nemo, opinor, nisi  
cui rudis plane & inconditus sensus est. Lubens sciensque præte-  
reo duos ILLUSTRISSIMOS RUTHENOS, quorum  
alter circa medium secul: XV. in Academia Erfurdina, (x) Alter  
in Jenensi secul: XVI. fasces Rectorales (quæ non proletaria,  
Principum eruditorum dignitas est) summâ cum laude tenuê-  
runt. Nam festinandum denique ad seculum præsens est, in quò  
quot vixere RUTHENI GENEROSISSIMI, tot propemodum  
si non eruditos Dynastas, tamen eruditorum Mæcenates summos  
ac Benignissimos numeramus. Ethic velut inter ignes Luna  
minores, quibus noctis tenebræ illustrantur, eminent ILLU-  
STRISSIMUS HEINRICUS POSTHUMUS, nul-  
la unquam ætate silendus Heros, & ob exempla virtutum ma-  
xima, quæ dedit, sine summis laudibus nunquam commemo-  
randus. Qui nisi excellentissimis ingenii dotibus, nisi pru-  
dentia singulari ac eruditione exactâ polluisset, nunquam uti-  
que factum fuisset, ut à RUDOLPHO II. Imperatore in  
Consiliatorum numerum allectus, hujus deinde & Sereniss.  
Ele-



6  
Electorum Saxon. nomine legationes magna cum dexteritate se-  
mel atque iterum obiisset. Nempe quas eruditionis opes in A-  
cademiis, Argentoratensi præcipue, quæ tùm studiosorum mul-  
titudine, & cum primis septem Principum ac triginta trium Co-  
mitum, Baronumque celebritate gaudebat, adolescens sibi com-  
paraverat; eas explicabat adultior factus, & in rempl. cujus salu-  
tem supremam esse legem statuebat, manu non parcâ effundebat.  
Quanta industriâ literis, quantâ contentione eloquentiæ inpri-  
mis studio in laudatissima Academiâ incubuerit; id vero oratio-  
nes non paucæ, (y) quas ibidem cum omnium applausu habuit,  
satis loquuntur & super. Et quid orationes dico, cum chartis for-  
te perituras? Ære perennius monumentum, regalique situ Pyra-  
midum altius exstat, quod clarissimâ in luce ponit, quanto affe-  
ctu artes & lingvas, & studium inprimis eloquentiæ profecutus  
sit, gloriosæ recordationis Heros, nempe Ruthenêum nostrum  
Illustre, in quo quotiescunque in palæstra oratoriâ exercetur  
pubes studiosa, toties amor Musagetæ tanti tacitâ quasi voce cele-  
bratur. Hic certe (quod non injuria facundissimus Orator (z)  
dixit) *scholasticis non baras, sed aras; non caulas, sed aulas; non casu-  
las & tuguriola, sed domos prope dixerim Augustales & magnifica  
palatia excitavit.* Quæ Herois laudatissimi benignitas tantam  
utique meretur laudem, quantam nec facundissimi oratoris asse-  
qui os & Svada potest. Ethæc, quoniam & in ILLUSTRISSI-  
MOS FILIOS ac NEPOTES hereditario quasi jure transiit; col-  
ligere cuivis in proclivi est, quod huic rei non possit par oratio in-  
veniri: nam quicquid dixeris, minus erit. Quæ verò LAUDA-  
TISSIMORUM HEROUM gloria, eò augetur magis, quod in-  
ter eos nec defuerint omni doctrina eruditi, nec hodienum de-  
sint. Nam quid dicam BEATISSIMUM HEINRICUM X. ma-  
ximum illud ac prope unicum pietatis, comitatis ac eruditionis  
instar? Certe quod de Cæsare dictum legimus, aut nunquam na-  
sci debuisse tam excellenti natura Virum, aut nunquam mori; id  
meliori jure de ILLUSTRISSIMO X. dicere par esset, nisi quòd  
animus refugiat optare prius illud, & abominetur invidere nati-  
vitatem illi, à quò tot in nos bona derivata copiosè recordamur.  
Proh Deum immortalem, quàm blanda ex toto promicabat vultu

b

huma-

humanitas? quàm singularis in verbis eminebat comitas? quàm  
stupenda ex discursibus, quos vel inter epulas instituebat, eluce-  
bat eruditio? quanta ex ore, quoties dicendum, effluebat, & mel-  
le quidem dulcior Hyblæo, eloquentia? Et quoniam hic cum  
juvenis admodum in alma Philurea operaretur literarum stu-  
diis, non semel ex cathedra cum disputatoria, tum & oratoria do-  
tes animi, quas admirabiles à benigniori natura sortitus erat, ex-  
plicuit, tunc præcipue, cum habenas moderari Academicas in-  
grederetur; (aa) ecquis eum laude eruditionis, ecquis gloriâ fa-  
cundiæ defraudabit? Et quid commemorem MAXIMI PAREN-  
TIS NON MINORES FILIOS, ILLUSTRISSIMUM in primis  
COMITEM ac DOMINUM, DOMINUM HEINRICUM III.  
DOMINUM MEUM PERBENIGNUM AC GRATIOSISSI-  
MUM? Qui per adolescentulus & decennis quidem in aula Lo-  
bensteinensi politissimam non sine gaudio insigni PARENTUM  
nunc BEATISSIMORUM habuit orationem. Nec tu ignoras,  
Gymnasium nostrum, quanta verborum copia, quantoque re-  
rum vi ac pondere ex cathedra tua dissertaverit Idem, cum  
BEATISSIMO FRATRE, DN. HEINRICO V. ad celeberrimam  
Tubingensem, & hinc in Gallias abituri. Quorum meritissi-  
mas laudes alma, quam dixi, Tubinga tunc demum oblivionis  
cineribus involvet, cum sui non amplius memor erit. Vestigiis  
hisce, tam laudabiliter pressis egregie nunc insistit ILLUSTRIS-  
SIMUS COMES ac DN. DN. HEINRICUS X. viva spiransque  
imago DESIDERATISSIMI PARENTIS, qui, dici non potest,  
quanto impetu ac fervore ad eruditionis solidæ laudem grassetur.  
Cum ante biennium istud & quod excurrit in Museum GENE-  
ROSISSIMI ANIMI gratiosemitterer; eam discendi avidita-  
tem, eam sciendi cupiditatem, eos in linguâ latinâ, artibusque &  
historia, &, quod caput rei est, in Theologicarum rerum noti-  
tia deprehendi profectus, quibus superbire vix possunt, etsi ve-  
lint, alii grandiores natu. Et in ipso Nepote suo imitando, quem  
familiarem sibi reddiderat, quàm promptus erat & expeditus?  
quàm numeri in stylo peritus ac tenax? quàm sui studiosus Infor-  
matoris & observans? Qui quoniam ad celeberrimam Salanam,  
propediem abiturus est, nulli dubitamus, quin in cœpto semel  
iti-

stinere strenue hæcenus ac præclare perrexerit, atque in eum aliquando evasurus Heroëm sit, qui gloriam, à Majoribus pietate, scientiã, doctrinã, eloquentia partam, industria singulari, pro excellentia indolis, asserturus sit. Deus constantiam in proposito, robur in vitã, benedictionem in studiis uberrimam clementer indulgeat! Et huic igitur cum de instituto tam laudabili gratulaturus sit, & simul de viã ac ratione, qua pervenire ad eruditionem juventutis principes queant, in medium allaturus quedam sit

**VALE** nobis **DICTURUS**; Ideo operæ me pretium facturum putavi, si, datã hæc tam insigni occasione, dicerem nonnulla de **ILLUSTRISSIMIS RUTHENIS** nostris & iis quidem, qui eruditione, facundia præcipuè polluerunt. Id quod an sufficienter à me præstitum sit, Delio opus non habebunt, qui historiam Ruthenicam exactius norunt. Feci ego, quod potui, non quod volui. Volui enim plurima hanc in rem afferre & notatu dignissima, adeoque pietatem & humillimum obsequium **PER CLEMENTIBUS NUTRITIIS NOSTRIS** probare. Quod verò peroraturum nostrum attinet; is est **HEINRICUS FRIDERICUS, VIRI PLURIMUM REVERENDI, AMPLISSIMI atque EXCELLENTISSIMI DN. HEINRICI CONRADI, S.S. THEOLOGICÆ ILLUSTRISSIMO RUTHENO NOSTRO A CONCIONIBUS ET CONFSSIONIBUS SACRIS, CONSISTORII RUTHENO-PLAVIENSIS ADSESSORIS, NEC NON GYMNASII INSPECTORIS VIGILANTISSIMI, FAUTORIS & COMPATRIS NOSTRI HONORATISSIMI**, filius ut unicus, ita dilectissimus, Adolescens pius, probus, modestus, industrius, parentum & præceptorum inprimis amans, & rerum suarum cum curã satagens. Qui uti sæpenumero è cathedra publica verba fecit; ita profectuum specimen sub discessum quoque suum cras, Deo vol: dabit, gratias simul, quibus debet, acturus. Qui ut pede eat felici, fundamentis, probe jactis molem eruditionis insignem superstruat, patriæque aliquando insigni emolumento, decorique amplissimæ familiæ sit, & sospes ideo ac incolumis vivat, telamque studiorum felicissime pertexat, vehementer etiam atque etiam precamur! Ut verò vos, **Plurimum venerabiles Dn. Inspectores, Vos item, Viri eruditissimi reliqui,**

fre-

frequentes adesse, operamque navare Diciturō velitis; magnō-  
pere rogamus. Gratissimum id erit Præcellentissimo Dn. Paren-  
ti, nec nos commitemus unquam, ut ingrati in tantam benevo-  
lentiam vestram fuisse videamur. P.P. Geræ d. XII. Sept. A. O.  
R. ∞ Ioc LXXVI.

NOTULARUM EVOLUTIO.

(a) ep. VII. & V. de Repub. (b) ita Ciceroni vocatur l. 2. de N.  
D. c. 12. & IV. ad Attic. ep. 16. (c) Prudent. l. 1. in Symmach. v. 31. (d)  
VII. 1. 2. (e) lib. 2. offic. p. 359. edit. Rachel. (f) ap. Piccart. in observ.  
Hist. Polit. decad. I. c. 5. p. 23. Conf. Cl. Minois comment. in emblema.  
And. Alciati, & quid. embl. CLXXX. p. 618. seqq. (g) ut Martinus  
Magerus à Schönberg in absolutissimo, quem de Advocatiâ armatâ  
publicavit, tractatu, ut & Andr. Knichen & Cuius aliique, quos non ita  
pridem communicavit Vir Nobil. ac Consultissimo JO. POSNERUS,  
& Cuius & Præfectus Lobensteinensis amplissimus, literis benevole scri-  
ptis propriæ die Kalend. Septembr. (h) in l. 14. C. de advocat. di-  
vers. judic. quem locum Eidem gratus acceptum refero. (i) idem  
facit B. Lutherus tom. 2. edit. Altenb. fol. 814. (k) quod præter alios  
monet CL. SAGITTARIUS Noster, quem DEUS reducem  
nobis feliciter sistat, de Bardevv. c. 2. §. 1. (l) in chronic. Slavorum  
lib. I. c. 70. p. 55. 56. edit. Meibom. ad A. C. cl. CC XLIII.  
(n) v. Hier. Megiserus tr. von dem dreysfachen Ritterstand 2c.  
part. 2. c. 5. p. 109. (o) v. Mart. Cromerus de orig. & rebus  
gestis Polon. l. 17. in corp. Polonico à Jo. Pistorio edit. fol. 660.  
seq. & qui omnia ex illo verbatim propè retinuit, Salomo  
Neugebauerus à Cadano in hist. rerum Polon. l. 5. p. 254. seq.  
(p) Virg. l. 10. Æn. (q) v. Cromer, & Neugeb. ll. cc. (r) l. 1. v. 443.  
(s) orig. Saxon. l. VII. f. 712. & f. 715. (t) f. 718. 719. (u) f. 716. 718.  
(x) in Troph. Hermetico-Hippocr. Joh. Rehefeldii p. 212. (y) vid.  
Melch. Jun. orat. tom. 2. part. 1. p. 139. 228. 240. & part. 2. p. 1002.  
(z) V. Volffg. Heiderus vol. 2. orat. p. 790. (aa) Anno cl. 136 XLII.



Handwritten notes and signatures at the bottom right of the page, including the letters 'M.C.' and other illegible scribbles.

Handwritten initials or a signature on the left side of the page, possibly 'M.C.' or similar.



h. 114. 7.

SVADA RVTH

SIVE

DISSERTATIUM

DE ILLUSTRISS

THENIS, QVI ERUDIT

PRIMIS VERO ELO

EXCELLUER

QVA

PL. VENERA

DNN. INSPI

RES, ET QVOS

VIROS ERUDITIC

SPICUOS AL

M. Jo. FRIDERIC

Illustris Ruthenei

ad

*benevolè auscultan*

HEINRICI FRIDERIC

GERANI,

*Valedictoriam Ora*

ILLUSTRISSIMO

DECIMO

præcipuè sacra

Qvâ par est, observantia &

invitat.

GERÆ,

Literis Georg. Heinr.

